



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**De Judiciis Ecclesiasticis Ad Germaniæ Catholicæ  
Principia Et Usum**

De iudiciis civilibus

**Zech, Franz Xaver**

**Ingolstadii [u.a.], 1765**

Titulus XXVI. De Testibus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68163](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68163)



## TITULUS XXVI. DE TESTIBUS.

Conf. Lib. II. Decretal. Tit. 20. § 21.  
In Sext. Tit. 10. In Clement.  
Tit. 8.

§. 308.

*Testimo-  
nia Divi-  
na apud  
Infideles:* **A** NNOTAVIMUS superiore Titulo, quæ pro exigua mole hujus opusculi sufficere possunt de Probationis *Artificialis* specie, scilicet de *Præsumptionibus*: nunc explicandæ veniunt nonnullæ Probationis *Inartificialis* species ex locis extrinsecis deductæ. Primum locum merentur *Testimonia*. Hæc possunt esse vel humana, vel Divina. Ad Divina olim referebantur *Oracula*, seu voces Dei ipsius, prout delusi a dæmone credebant: *Auspicia* seu auguria, quæ ex avium volatu, cantu, pastuque ducebantur: *Vaticinationes*, quæ erant responsa Vatum: *Responsa* denique Sacerdotum & *Haruspicum*, qui vel interpretabantur somnia, vel ex inspectione extorum, futura conjiciebant; unde vocabantur *Conjectores*. Hæc apud infideles magnam venerationem habebant.

§. 309.



§. 309. Inter Fideles Deus in veteri *Et apud*  
 quidem Testamento præter oracula *Fideles,*  
 frequenter edita, constituebat modos  
 aliquos veritatem infallibiliter dete-  
 gendi 38.); in novo autem Testamen-  
 to miris sæpe eventibus eandem de-  
 monstravit 39.). Unde multi hanc  
 Dei benignitatem in superstitionem  
 vertentes ex suo tantummodo sensu  
 & arbitrio adstringere Deum volebant  
 ad certos quosdam modos, quæstiones  
 dubias decidendi, vel veritatem dete-  
 gendi, temere confidentes, quod Deus  
 absque ulla necessitate, & non exi-  
 gente Ecclesiæ incolumitate, miracu-  
 la sit patraturus. Hunc modum pro-  
 bandi vocabant Judicium Dei 40.),  
 vel Ordalam, aut Ordalium (germa-  
 nice Urtheil): credebant enim, Deum  
 ipsum testari, aut ferre sententiam de  
 jure aut innocentia illius, cui ista ex-  
 ploratio bene cesserit, quem scilicet  
 ex singulari certamine illæsum abire,  
 vel

---

38.) Talis est lex Zelotypiæ. Numer. C. 5.

39.) Exemplum habemus in S. Petro Ig-  
 neo, & S. Cunegunde.

40.) De quo dictum supra Tit. I. de Judi-  
 ciis.



vel ferro candente non lædi contigerit, ut omnes iudicio Dei credant absque dubitatione 41. ).

Superstiosa.

§. 310. Non tantum principales personæ, sed etiam Testes producti, qui ad causam jurejurando confirmandam se offerebant, ejusmodi explorationem subire debebant, pulchro Religionis prætextu, ne committeretur perjurium, ita ut unus de eisdem testibus, qui ad danda convenerant Sacramenta, DEO IUDICANTE configat. Quod si testis partis ejus, qui obtulerit Sacramentum, in eo certamine fuerit superatus, omnes testes, qui se promiserant juraturos, tercenos solidos multa nomine cogantur exsolvere. Ita statuit Lex Burgundionum 42. ). Similiter juxta Leges Bajuvariorum 43. ) si quis contra vitam Ducis conspirasse dicatur, & unus testis id affirmet, alter autem neget, tunc Dei accipiant iudicium: exeant in campum, & cui Deus dederit victoriam, illi credatur: & hoc in presentia populi fiat, ut per invidiam nullus pereat. Notatu dignum est, quod huic temerariæ

41. ) Capitulari I. ann, 809. c. 20.

42. ) Tit. 45.

43. ) Tit. 2. c. 2.



rariæ consuetudini semper restiterint Romani Pontifices. Hodie in Judiciis Autoritas Divina interponitur per *Juramenta*, de quibus agent sequentes Tituli. Hoc loco de Testimoniis humanis agitur, quæ scilicet nituntur auctoritate hominis. Sunt autem Testes, vel *Instrumentales*, qui in Instrumento erigendo; vel *Testamentarii*, qui in ultimis voluntatibus conficiendis; vel denique *Judiciales*, qui in Judicio adhibentur. De prioribus alibi dictum, & dicetur: de ultimis nunc tractandum.

§. 311. *Testis Judicialis est persona Dicenda idonea, quæ legitime vocata testimonium de Testi- dicit in Judicio de aliqua re controversa. bus.*

Antiqui Saxones existimarunt, Reum Saxonem in causa civili regulariter testibus convinci non posse de actu extra Judicium posito, sed prævalere negationem Rei Juramento confirmatam 44.). Hodie in plurimis Causis potif-

---

44.) Sic dicitur in speculo Saxonico lib. i. art. 18. ubi Glossator id falsum esse contendit, adductis aliis Juris Saxonici textibus, qui tamen videntur loqui solummodo de actibus in Judicio gestis:



potissima autoritas reponitur in Testibus. Summatim attingimus ea, quae vastis voluminibus comprehenduntur, breviter insinuando I. Quid observandum sit ei, qui per testes vult probare. II. Quid observandum ei, contra quem Testes producuntur. III. Quod sit officium Judicis circa receptionem & examinationem Testium.

Obser-

vanda ei,

§. 312. Cui per Testes aliquid probandum incumbit, in primis Judici scripta offert capita suae intentionis, super quibus Testes examinari desiderat. Communiter vocantur *Articuli* 45.), qui debent esse pertinentes ad causam & relevantes, quia non quod debet quis admitti ad probandum id, probatum non relevaret 46.), sicut nec ad probationem superfluum. Nominat etiam Testes, quos est producturus, addito *Directorio*, quo insinuatur Judici, super quibus *Articulis* quemlibet examinare debeat, si non omnes

---

vel de criminibus notoriis. vid. HEINERICUS Elem. Jur. Germ. lib. 3. tit. 6. §. 186.

45.) C. fin. de testib. cogend. C. 2. §. testes. De testib. in 6.

46.) L. 21. C. de Probation.



omnes testes de omnibus plenam notitiam habere credantur. Horum omnium copia datur parti adversæ, ut dispicere queat, an contra articulos vel Testes nihil, quod opponat, habeat. Sicut autem Actor Articulos probatoriales, ita etiam Reus capita suæ defensionis, Articulis reprobatorialibus seu defensionalibus comprehensa, Judici offerre debet, ut sic super articulis utriusque ad Testium receptionem procedi queat. Discrimen plerumque est, quod Actor Articulos ex visceribus libelli deductos ponat super jure sibi competente; Reus autem super defectu juris Actoris. Articuli concipiendi sunt affirmative, determinate super certo aliquo facto sensibus corporis perceptibili; non super jure, non disjunctive aut alternative.

§. 313. Antequam Testes primo nominati examinentur, sæpius alii usque ad conclusionem in causa produci possunt, nisi Judex refræmandam censeat Testium multitudinem, aut ipsa pars renuntiaverit ulteriori productioni. Postquam autem una Testium examinatio facta fuit, & pars eorum testimonia didicit, non admittitur productio.

*Qui per  
Testes  
vult pro-  
bare.*

A a

ductio

De Judiciis.



ductio aliorum Testium ob periculum subornationis. Si tamen facta jam examinatione, attestations publicata nondum sint, admittitur tertia productio, non tamen quarta, sine solennitate 47.), & juramento, quod neque subtraxerit, neque percontatus est ipse testificationes, vel aliquis Advocatorum ejus, vel alius pro eo agens: nec per dolum, nec per machinationem, vel artem, quartam productionem Testium petat fieri. Sumptus Testibus præstandi sunt per ipsum producentem. Si quis Testis huic obstructus sit vinculo jurisjurandi aut subjectionis, tunc producens his Testibus, quoad actum testificandi in illa causa, relaxare debet jusjurandum, ut sic libere valeant pro utraque parte testari.

*Is contra quem Testes producuntur,*

§. 314. Is, contra quem Adversarius est aliquid probaturus, curet sibi ostendi, super quo, vel quibus ab Adversario Testes, & quinam sint producendi, ut excipere possit contra Articulos impertinentes & irrelevantes, aut contra personas Testium, antequam hi examinentur; alioqui regulariter publi-

47.) Auth. at qui semel, C. de Probat.



publicatis attestacionibus contra personas Testium nihil potest opponi. Si quis prius simpliciter protestetur, se Testes reprobaturum, nequit postea eorum attestaciones pro se allegare, etsi maxime pro se deposuissent 48.). Si vero protestatus est de reservando sibi facultatem opponendi contra personas Testium, posset eorum dicta pro se recipere, & oppositionem omittere. Si tamen exceptio fiat in odium ipsius Testis, veluti quia est hæreticus, infamis &c. semper hoc vitium objici potest, quia partes non possunt renuntiare exceptioni introductæ in odium testis tanquam tertiæ personæ.

§. 315. Post communicatam sibi co-<sup>Ponit In-</sup>  
 piam Articulorum proponere potest <sup>terroga-</sup>  
 sua <sup>Interrogatoria</sup>, tum super circum-<sup>toria Ge-</sup>  
 stantiis negotii principalis, tum ut de-<sup>neralia</sup>  
 prehendi possit, quanta fides Testi sit  
 adhibenda. Quædam vocantur Gene-  
 ralia, quædam specialia. *Generalia*,  
 quæ in omnibus fere causis fiunt, po-  
 tissimum circa personas Testium, & vi-  
 tia, propter quæ vel a testimonio re-  
 pel-

A a 2

pel-

---

48.) C. presentium, 31. de Testib.



pelli, vel fides Testis debilitari possit.  
 Non tamen decet eum interrogari, an  
 sit adulter, an infamis, an criminofus  
 &c: & si de talibus interrogaretur,  
 ipse respondere non tenetur: si tamen  
 fateatur crimen, producens non pos-  
 set testimonio ipsius pro se uti 49.).  
 Inter hæc generalia interrogari solet  
 testis, cujus sit ætatis; cujus condi-  
 tionis; in quibusdam locis, cujus sit  
 Religionis? item quantum habeat in  
 bonis; an prece vel pretio testifice-  
 tur; an pro testimonio aliquid da-  
 tum vel promissum sit; vel spem ha-  
 beat aliquid obtinendi; an speret lu-  
 crum vel damnum ex hac causa; an sit  
 amicus producentis, vel inimicus par-  
 tis adversæ; quam partem mallet ob-  
 tinere victoriam; an se testificationi  
 sponte obtulerit; an cum aliis conte-  
 stibus convenerit, quid dicere velit;  
 an instructus fuerit, quomodo depo-  
 nere debeat.

*Et specia-  
 lia.*

§. 316. *Specialia* Interrogatoria fi-  
 unt ad destruendum dictum testis, cum  
 quæritur de causis, qualitatibus & cir-  
 cum-

---

49.) C. 2. in fin. de ord. Cognit.



circumstantiis negotii, de scientia Testis & causa scientiæ. Quædam Interrogatoria fiunt ad fundandam intentionem ejus ipsius, contra quem testis producit. Semper præ oculis haberi debent articuli adversæ partis, & ex eis Interrogatoria conscribi; quidquid ultra Articulos, aut supervacaneum invenitur, rejiciendum est. Copia Interrogatoriorum non debet ostendi adversæ parti, ne habeat occasionem subornandi testes, aut instruendi ad tegendam falsitatem. Formam Articulorum & Interrogatoriorum exhibent multi Practici (50.): adhibendæ autem sunt formulæ in singulis Tribunalibus usitatæ.

§. 317. *Judicis officium est, ut recipiat testes a parte productos, si tales sint, quibus nihil ob stare videatur. Si altera pars statim a principio excipiat adversus testium personas, potest nihilominus Judex eos examinare, reservata facultate ipsi parti, exceptiones contra testes oppositas probandi post*

Aa 3                      publi-

---

50.) Inter hos præcipuus est DURANDUS specul. lib. I. partic. 4. de Teste. §. 5. & 6.



publicatas attestaciones. Potest autem Judex ex officio de conditione Testis inquirere, & eum a testimonio repellere, aut multitudinem Testium restringere pro causæ qualitate. Non recipiendi sunt Testes ante litis contestationem, nisi timeatur diuturna absentia, aut propinqua mors Testium ob senium saltem septuaginta annorum; vel ob infirmitatem, periculosam peregrinationem trans mare, aut profectionem ad bellum: in quibus casibus deberent tamen Testes, quantum fieri potest, recipi citata parte adversa: attestaciones autem non debent publicari, nisi demum post litem contestatam. Ante litis contestationem possunt etiam recipi testes *ad perpetuam rei memoriam*: & Reus quidem universim uti potest hoc remedio, non tamen Actor, qui sibi imputare debet, si non agit, cum agere possit: aliud est, si longissimo tempore agere non posset; quo casu etiam Actor petere potest receptionem Testium ad perpetuam rei memoriam.

*In recipiendis Testibus,* §. 218. Ut receptio Testium legitime fiat, debet Judex ad instantiam partis Testes ab ipsa nominatos citare ad comparendum certa die, & ad jurandum,



dum, ac testimonium pro veritate dicendum super Articulis eisdem exhibendis: citare etiam partem adversam ad videndum recipi & jurare Testes. Si Testis alibi degat, non est per iter nimis longum temere evocandus, nisi ex causa gravi id expedire videatur; sed potius curandum, ut facta delegatione, vel requisitione alibi examinetur super capitulis transmissis, præcipue si testis Jurisdictioni evocantis non sit subjectus: quo casu etiam in criminalibus examen testis relinqui potest Judici alterius Provinciæ, ne veritas occultetur, aut probandi facultas coangustetur, & per consequens delicta remaneant impunita. Licet enim (æ jure communi §1.) in Criminalibus testes examinari debeant in loco judicii, & repræsentandi sint Judici Causæ; hodie tamen aliud observatur, cum Jurisdictiones sint distinctæ & patrimoniales, & propterea remissio Testium non ubique in usu sit. Dein per ejusmodi Literas requisitionis of-

A a 4                      fici.

---

51.) Auth. Apud eloquentissimum. C. de fide Instrum. Novell. 90. c. 5. in fin.



ficium examinandi Testes non dicitur committi vel delegari alteri Judici, sed magis dicitur id ab ipso exigi: hinc ralis Judex Testem examinat sua propria autoritate, non autem autoritate scribentis, vel requirentis eum: & rescribet Judici causæ, cujus autoritatis, famæ vel conditionis sint testes, & quanta ipsis fides haberi debeat.

*Præfer-*  
*tim Cleri-*  
*cis.* §. 319. Si Magistratus Laicus indigeat testimonio Clerici, requisitio fit apud Ordinarium, vel Vicarium Generalem, qui vel ipse super capitulis communicatis Clericum examinat, vel recepto saltem juramento eundem transmittit. Si vero ordinarius velit adhibere testimonium Laici sub sua Jurisdictione Ecclesiastica constituti, non debet requirere Magistratum Laicum, si Causa sit Ecclesiastica; secus si Causa sit mere secularis. Unde Judex Ecclesiasticus citans Laicum suæ Diœcesis ad dicendum testimonium, consulto mentionem facit, de qua Causa agatur, ne Magistratus Laicus occasionem sumat impediendi, ne se sistat. Quidquid contra Judicis officium in receptione, vel examinatione testium peccatum fuerit, dabit alteri parti occasionem excipiendi contra testimonia.

§. 320.







vel ratione causæ. Sic excusatur uxor contra maritum, frater contra fratrem &c. Clerici in Causis Ecclesiasticis, etiam Criminalibus coguntur ad ferendum testimonium: in causis secularibus Civilibus coguntur per Episcopum, quando veritas aliter haberi nequit.

*De Examine Testium.* §. 321. Testi præsentis Judex defert juramentum in præsentia partis adversæ, nisi hæc contumaciter sit absens. Partes, si ambæ consentiant, possunt juramentum Testibus remittere. Leges Longobardorum 55.) requirunt juramentum Testium, *excepto si tales personæ fuerint, quibus aut Rex, aut Judex sine Sacramento credere possit.* Hæ ipsæ Leges 56.) statuunt, ut non admittantur testes ad juramentum, antequam discutiantur, id est, antequam Judex variis interrogationibus eos tentaverit, an fide dignos censeat. Huic discussioni hodie respondent Interrogatoria generalia, quæ tamen post juramentum præstitum solent proponi. Præstito

---

55.) Lib. 2. tit. 28. leg. 2. quæ est Lex 25. LIUTPRANDI lib. 6.

56.) Lib. 2. tit. 51. Leg. 2. quæ est CAROLI M. Lex. 21.



fito juramento singuli seorsum, & Notario præsentem, qui eorum dicta describat, secreto examinentur, præmissa admonitione, ut memores sint juramenti præstiti. Examinetur quilibet primum de Interrogatoriis generalibus. dein de Articulis ac Interrogatoriis super quovis Articulo exhibitis juxta Directorium a Producente positum. Examen hoc fiat, & attestationes scribantur in lingua vulgari Testium §7.). Sive autem ipse Judex, sive delegatus, aut requisitus Testes examiner, observabit is diligenter, an Testis vacillet, vel an constanter; aut cum trepidatione, pallore, aut similibus indiciis deponat: hæc enim ad fidem testium augendam, vel minuendam pertinent. Unde ista ad Acta sunt referenda per Examinatorem. Debet etiam dictum cujuslibet Testis integre in Actis describi: nam dum aliqui scribunt, *secundum vel tertium idem dixisse, quod primus testis*; istud reprobatur in bene constitutis Judiciis, cum videantur

---

57.) POSTIUS de Manuten. observ. 92. n. ult. VINCENTIUS PETRA Comment. ad Constit. Apostol. Proæm. §. 3. n. 30.



tur unum eundemque præmeditatum sermonem afferre. Quo Causa est gravior, vel persona levior, eo diligentior debet esse examinatio: sicuti etiam si testes sint suspecti. Caveat Examinator, ne uni parti magis se favere ostendat, quam alteri, exquirendo ab uno non solum causam scientiæ, sed etiam causam causæ, ut testem in sermone suo capiat, quod fieri non debet, nisi testes sint suspecti. In Causis gravioribus jubentur etiam Testes dicta sua adscripto nomine proprio confirmare: denique imposito silentio dimittuntur.

*Publi-  
cantur  
attesta-  
tiones.*

§. 322. Auditis Testium depositionibus, instante alterutra, vel utraque parte, & ulteriori Testium productioni renuntiante, Judex, vel ipsius jussu Notarius prælegit Attestationes, aut saltem pronuntiat, eas pro publicatis haberi, permittendo partibus earum copiam fieri. Post publicationem regulariter super iisdem capitulis, vel directo contrariis, non possunt amplius nec iidem testes, nec alii recipi: procedit hoc etiam in Causa Appellationis, etiam si publicatio facta sit in prima Instantia. Concessa partibus Attestationum copia, originalis scriptura



tura remanere debet penes Judicem, vel Notarium (8. ), reponenda ad Acta Causæ. Dein juxta qualitatem & quantitatem scripturæ Attestationum, præfigitur terminus, intra quem partes disputent super Attestationibus. Primum audiendus est is, contra quem testes producti sunt, num quas legitimas exceptiones habeat contra personas testium, vel eorum dicta: alter replicando defendit personas & dicta testium.

§. 323. Testes præsumuntur idonei, *Causæ re-*  
 id est, tales ut non reperiantur expres- *probandi*  
 se prohibiti. Quibusdam ex his minor *Testes ;*  
 fides habetur, quæ suppleri potest ali-  
 is adminiculis: alii autem sunt omni  
 exceptione majores, quibus nulla om-  
 nino exceptio, nec levis & frivola op-  
 poni potest. Si defectus Testium non  
 jus publicum, sed privatam partis uti-  
 litatem respicit, potest tale vitium re-  
 mitti a partibus, vel expresse, vel ta-  
 cite nihil opponendo. Reprobati au-  
 tem Testes possunt I. Ratione defectus  
 vel

---

58.) In C. 11. de Probat. dicitur, origina-  
 lia debere permanere penes Scriptores.



vel vitii alicujus, E. G. ob inimicitias capitales. II. In Causis Civilibus propter affectionem erga partem producentem, uti Parentes pro liberis & vicissim. Plerumque Judicis arbitrio in Causa civili permittitur, quanta fides habenda sit testimonio fratris, consanguinei, amici, familiaris, domestici. Testes possunt esse singuli de universitate pro universitate; Prælati pro Ecclesia; Socius pro socio, si causa nullo modo tangat singulos, ipsum Prælatum, vel Societatem. Idoneus testis non est, qui se sponte obtulit ad testificandum, ob præsumptionem magnæ affectionis erga causam, aut odii contra Adversarium. III. Reprobantur testes ratione affectionis ad ipsam Causam. Hinc nemo potest esse testis in propria causa: nec consors ejusdem litis pro suo consorte: nec socius pro socio in causa tangente societatem: nec universim, qui commodum sentit ex causa: nec Advocatus vel Procurator in Causa, in qua patrocinium præstitit: nec Judex Causæ in eadem Causa: nec is qui Causam consimilem habet. IV. Propter crimen, infamiam, aut vilitatem personæ. Criminosus repellitur, si in ipso crimine perseveret: si vero

lit



lit de crimine emendatus, & eum non comitetur infamia, non est in causa civili, vel etiam cum de crimine civiliter agitur, præterquam pro reatu perjurii, repellendus 59.). Unde inferunt 60.), Clericum Concubinarium non posse esse Testem in Causa Civili, si non sit emendatus. Subjungit Abbas, idem forte etiam procedere in Laico. Non tamen omnis, qui est in peccato mortali, potest repelli. V. Reprobari possunt Testes ob alios quosdam defectus. Exemplo sit furiosus, prodigus, impubes, seu etiam minor viginti annis in causis arduis & criminalibus: item cæcus, mutus, surdus, servus, Judæus contra Christianum, libertus contra Patronum suum, Vasallus contra dominum suum. VI. Rejicitur testimonium unius testis: regulariter enim requiruntur & sufficiunt duo.

§. 324. Etsi Testes sint omni exce- *Vel exci-*  
ptione majores & numero sufficientes, *piendi*  
possunt tamen eorum testimoniis varii *contra*  
defectus objici. I. Quod Testis non *eorum te-*  
red- *stimonia.*

59.) C. 54. de Testib.

60.) ABBAS in cit. C. 54. princ. & FRE  
LINUS ibid, n. 9.



reddat rationem dicti sui. II. Quod non viderit propriis oculis id fieri, de quo deponit. III. Quod non deponat de auditu proprio. IV. Quod non deponat de persona, certo loco, & certo tempore. V. Quod non deponat de vera scientia sua, sed solum de credulitate. VI. Non de ipso facto, sed solum de confessione facti audita a parte. VII. Vel solum de fama. VIII. Quod deponat per verba inepta, ex quibus non possit necessario inferri, ipsum habere veram scientiam facti, de quo deponit. IX. Quod testimonium sit obscurum, ambiguum, confusum. X. Quod testis dicat, se dubitare, aut ex depositione appareat, quod vacillet & fluctuet. XI. quod testis sit varius, & sibi ipsi contrarius. XII. Quod testes in eorum dictis non concordent, sed sibi invicem contradicant. Ea autem, in quibus concordare debent, continentur hoc versiculo: *Res, Persona, Locus, Gradus, hæc sint consona, Tempus.* XIII. Quod testis in suo dicto sit singularis. Testis unicus semiplene probat: sed testis, qui respectu aliorum contestium dicitur singularis, nec semiplene quidem probat, si sit singularitas obstativa, uti fuit depositio



Senum de Susanna: aliter loquendum de singularitate adminiculativa. XIV. Quod depositio non conveniat naturæ rei aut causæ. XV. Quod deponat non verisimilia, vel incredibilia. XVI. Quod deponat extra Articulum, vel de alio, quam super quo inductus fuit, consequenter de eo, ad quod juramentum eius se non extendit. XVII. Quod aliquid de suo addat qualitati negotii gesti. XVIII. Quod sit verbosus in sua depositione. XIX. Quod testes in omnibus similia deponant, unum eundemque præmeditatum sermonem afferendo. Univerſim autem notandum, Testium dicta semper sano modo interpretanda, & concordanda esse, absque subtili cavillatione.

§. 325. Possunt insuper Testimonia *Quibus* pro uno prolata reprobari ex attestati- *Testibus* tionibus aliorum, quibus plus est cre- *magis sit* dendum, quam testibus alterius par- *creden-* tis. Nam regulariter magis creditur *dum?* testibus dignioribus, quam aliis. Digniores autem sunt Clerici, quam Lai- ci: Nobiles, quam ignobiles: Tabel- liones, quam alii: Masculi, quam fe- minæ: Seniores, quam juniores: Vir- gines, quam viduæ. In his omnibus

B b

atten-

De Judiciis.



attenditur major dignitas *ceteris paribus*.  
 Unde non obstante majore dignitate  
 magis creditur illis testibus, qui natu-  
 ræ negotii aptiora & magis convenien-  
 tia, vel verosimiliora & secundum jus  
 commune deponunt, aut pro Causa  
 favorabili, uti pro libertate 61. ): se-  
 cundum testamentum 62. ): pro Reo:  
 pro Instrumento: pro valore actus:  
 pro ea parte, pro qua stat præsumptio:  
 pro exclusione delicti: secundum com-  
 muniorem naturæ ordinem, uti, fuisse  
 aliquem sanæ mentis, habere potentiam  
 ad copulam, prolem vivam de utero  
 matris fuisse egressam, patrem mor-  
 tuum esse ante filium. Plus creditur  
 testibus, qui verosimiliter melius sunt  
 informati de veritate negotii, scilicet  
 Consanguineis de propinquitate Co-  
 gna-

---

61.) L. 24. ff. de Manumiss.

62.) Arg. L. 10. ff. de inoffic. testam.

De Testibus scribant innumeri, imprimis qui  
 commentantur in titulos concordantes Ju-  
 ris Canonici & Civilis; aut qui scribunt de  
 Judiciis & ordine Judiciario: dein qui con-  
 tinentur in Tractatibus Illustrium JC. torum  
 Tom. IV. Item NICOLAUS EVERHARDUS,  
 PROSPER FARINACIUS, VOLEMARUS  
 HESS, SAMUEL STRYCKIUS &c. &c.



gnationis; vicinis de iis, quæ in vicini-  
 a contigerunt; singulis de facto pro-  
 prio. Plus creditur deponentibus con-  
 tra se; bonam scientiæ suæ causam af-  
 signantibus; plus affirmantibus quam  
 negantibus; plus deponentibus in spe-  
 cie, quam deponentibus in genere.

§. 326. Exceptiones contra dicta *Quando*  
 Testium fieri possunt & debent post *exceptio-*  
 publicationem Attestationum: contra *nes iste*  
 Personas Testium regulariter fieri de- *sint propo-*  
 bent ante publicatas attestations, nisi *nende?*  
 pars objiciens juret, se ad hanc re-  
 probationem non malitiose procedere,  
 aut causas reprobandi de novo perve-  
 nisse ad suam notitiam: aut a Judice  
 se fuisse impeditum: aut nisi prius pro-  
 testatus sit, quod certos testes produ-  
 ctos velit reprobare: hæc tamen pro-  
 testatio facit, ut non credatur dicto  
 talium testium in favorem ejus, qui  
 protestatus est, se illos reprobaturum.  
 Non omnis, qui tanquam Testis admit-  
 titur in causa civili, admittendus etiam  
 est in causa Criminali, præcipue si cri-  
 minaliter tractetur; in hac enim re-  
 quiruntur Probationes luce meridiana  
 clariores & testes omnino idonei, hoc  
 est, integri & omni exceptione mayo-  
 res; magisque attenditur ad odium



adversus eum, contra quem testimonium dicitur, vel ad affectionem erga producentem, aut erga ipsam causam. In Criminibus exceptis, læsæ Majestatis, hæresis &c. audiuntur etiam illi, qui alias non admittuntur tanquam testes: Judicis dein est arbitrari, quanta fides sit adhibenda: nam testimonium impuberis potest saltem sufficere ad detegenda indicia, & inquirendum. Contra ejusmodi exceptiones pars, quæ Testes produxit, defendere debet eorundem personas & dicta. Potest autem defectus unius Testis suppleri ex habilitate alterius contestis omni exceptione majoris, modo ille prior aliquid probet, licet diminuta sit ejus fides: si autem Testis inhabilis omnino nihil probaret, defectus ex alterius testimonio suppleri non potest: sicuti etiam suppletio hæc non invenit locum in causis arduis, in Criminalibus, in Matrimonialibus, ubi requiruntur duo testes omni exceptione majores. In illis autem casibus, in quibus ex natura rei veritas aliter haberi non potest, possunt sufficere testes minus idonei.

*Testes* §. 327. Testes examinati & publici in ordinario Judicio, regulariter in uno absque nova examinatione fidem faciunt



Unt in alio *Judicio* inter easdem per-  
sonas. Censent tamen communiter *an pro-*  
Doctores, quod attestations in *Judicio*  
Summario receptæ, fidem non fa-  
ciant in Ordinario, quia in Summario  
non tam solenniter & diligenter recipi-  
untur, sicut in Ordinario. Similiter  
probationes sive per testes, sive alio  
modo factæ in *Judicio civili*, nullam  
faciunt fidem in *Criminali*.

TITULUS XXVII.  
DE FIDE INSTRUMENTO-  
RUM.

*Conf. Lib. II. Decretal. Tit. 22.*

§. 328.

POst Testes viva voce deponentes, *Instru-*  
præcipuum inter Probationes in-  
artificiales locum obtinent Instrumen-  
ta. In sensu latissimo *Instrumentorum*  
nomine ea omnia accipienda sunt, quibus  
causa instrui potest: Et ideo tam testimonia,  
quam personæ, *Instrumentorum loco habentur* 63.). Hoc loco autem intelligun-  
tur

B b 3 tur

---

63.) L. i. ff. de fide Instrum.